Sz XVII
b 26a

ACADEMICA DEIFICA TRIAS.

Arianorum, Græcorum, & Sectariorum variorum, Conuersioni; Catholicorũ ac orthodoxorum perfectioni; inseruiens.

In Conuentu solenni, Academiæ Crac. ad S. Annæ Ædem pro Quartuali SS. Trinitatis, per M. D. Rectorem, ex more, congregatæ; Habita.

Illustrissimo ac Reuerendiss. Domino,

D. MARTINO SZYSZKOWSKI, EPISC. CRAC. Duci Seueriensi, Acad. Crac. Cancellario, &c. &c. Et Academiæ Crac. Sponsæ Illustrissimæ Celsitudinis suæ prædilectæ, Matri Eruditorum Virorum Fœcundæ; Octaua Festiuitatis S. Annæ Mettertiæ Die, Acad. Crac. Patronæ, dedicata

A

M. MATTHIA BLOSIO, Crac. *S. Theologiæ Profess. Collega Maiore, S. Floriani Canonico; Authore.*

Euntes, docete omnes Gentes, baptizantes eos, in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit. Qui autem non crediderit, condemnabitur. *Matth. c. 28.*

Illustrissimi D. Cancellarij, M. D. Rectoris; & Acad. permissu.

CRACOVIÆ,
In Typographia vicina, Matthiæ Andreouiensis,
Anno Domini, 1619.

BJ 13/a 177

εὐθήκτῳ ξίφεος κλέος, ἐγκυκλώμενον ἀυγῇ
ταῖν μήναιν λαμπραῖν, πάντοσε φεγγομένῃ.
ἐκφάινει ψυχὴν ἴφθιμον Συσκοσίοιο
σφάλματα φεύγοντος, ῥυομένῳ τὲ νεῶν.

M. Zacharias Starnigelius,
Græcæ L. Professor.

BIBLIOTEKA ŚLĄSKA
221326 I

Illustriss: Domino, ac Reuerendissimo in CHRISTO *Patri;*

D. MARTINO SZYSZKOWSKI,

Dei & Apostolicæ Sedis Gratia, Episcopo Cracouien: Duci Seuerien. Academiæ Cancellario, &c.

M. MATTHIAS BLOSIVS, Salutem & Felicitatem precatur.

QVi Imperatoribus ac Regibus cari esse studebant, Decennalia, Vicennalia, & Tricennalia diligenter obseruabant, vt sub ipsorum recursu, ingenii sui pignora, quibus, luculenter amorem suum in eosdem testarentur, depromerent. Verùm amor ergà Illustrissimam C. V. meus, is est, vt non sinat vlla ratione me, Decennalia, Vicennalia, & Tricennalia in Episcopatu Crac. feliciter ab Illustriss: C. V. cùm Fauore Dei exigenda, expectare. Quin potiùs, post primam animi mei testificationē, Anno Episcopatûs Illustriss.

C. V. primo exhibitam, exstimulabat me pōtētiùs, vt ipso Anno tertio Curæ Pastoralis sollicitæ in Episcopatu Crac. per Illustriss: C. V. iam exactæ ac decursæ; Deificam ac Omnipotentem Triadem, à Paganismo, Iudaismo, Arianismo, Græcanismo, & omni Schismatismo se vindicantem; atq; Sectariorum omnium Conuersioni, auxiliarem manum admouentem; Illustriss: C. V. consecrârem. Itaq;, & effectu ipso, Illustriss: C. V. eam, dedico, consecro. Neq; enim inferior est Virtutibus & Doctrinis, Illustriss: C. V. Gregorio illo Nazyanzeno, qui, ita exosos habuit Arianorum & cæterorum Sectariorum fædos ac blasphemos de SS. Trinitate errores, vt non priùs virtutis ac eruditionis armis oppugnare omnimodè illos, in Diœcesi sua Episcopali, ac Patriæ suæ carissimæ gremio hærentes desisteret; quàm ex fædis & blasphemis, pios ac orthodoxos eos, redderet. Nec etiam cedit Illustriss: C. V. Zelo ergà Ecclesiam Dei ac Patriam; S. Martino Episcopo Turonensi, qui, Gallia Patria sua afflicta nimis ex innumerabilium hostium furore ac sæuitia in suos ciues, existente; eorumdem, turmas ac cuneos immensos, in Nomine Deifico ac Omnipotenti SS. Trinitatis, superâbat. Et cùm non desint, permissione Dei, ex malis

multis

multis bona elijcere grandia valentis, in Diœceſi Illuſtriſſ. C. V. blaſphemiæ Arianorum, ac in Patria infeſtationes Tartarorum & Turcarum, ſpes magna & certa eſt omnium bonorum de Illuſtriſſ. C. V. in eiuſdem SS. Trinitatis Deifico ac Omnipotenti Nomine, Illuſtriſſ. C. V. tam blaſphemias Arianorum, quàm Tartarorum & Turcarum infeſtationes, technis & impoſturis ſuis, Polonos generoſos elumbare & expectorare, contendentes; ſublatûram. Quem optatum ac deſideratum finem, vt eò facilius & expeditius Illuſtriſſ: C. V. conſequi poſsit, cooperabitur Illuſtriſſ: C. V. Academia Crac. in Pietate, cultu, virtute, eruditione, & ope, Sereniſſ. Poloniæ Regum, libatio prima, fideliſsima, & optima, Sponſa Prædilecta Illuſtriſſ. C. V. cuius nunc Cancellarius optatiſsimus & digniſsimus eſt; Mater autem mea honorata, à qua ornamenta vlteriora, Duce ac Patrono Illuſtriſſ. C. V. expecto. Cùm tanta Sponſa, Illuſtriſſ: C. V. vnum in charitate exiſtenti, aderit ſemper Omnipotens Deus, Pater, Filius, & Spiritus S. ita intimè, vt ab eodem cuncta, ſiue ad honorificentiam Nominis ipſius ſanctiſsimi, ſiue etiam ad Poloniæ Patriæ ſuæ afflictæ nimis, auxilium pertinentia, impetratûra ſit. Optante hoc Polonia ipſa, ac me

etiam ex corde dicente, fiat, fiat. Deo autem, cùm Illustriss: C. V. in nostrarum Musarum, & omnium nostrum, magnam cõsolationem, idipsum efficiente. Datæ è Collegio Maiori Academiæ Crac. ipsa Octaua S. Annæ Mettertiæ, Academiæ Crac. Patronæ.

Dei & Reuerendiss: D. V. Sacerdos, & in Ecclesia S. Floriani Canonicus.

SS. TRINITAS, seu TRIVM PERSONARVM IN DIVINIS ADORANDA VNITAS PROTEGENS AC SALVANS SVPPLICES POLONOS.

Benedicat nos Deus Deus noster, benedicat nos Deus.
Psal. 66.

Academiæ Cracouiensi, Matri suæ Honoratæ & Toto Terrarum Orbe inclytæ;

M. Matthias Blosius Crac. Collega Maior, S. Th. Professor. S. & Felic. prec.

Laudant Sacri Ecclesiastici Annales, Alexium Romanorum nobilissimum pòst reditum ex peregrinatione sua ad loca Pietate & Sapientia insignia suscepta, Patri suo, apud quem ignotus sub persona externi pauperis aduenæ longo tempore vixerat, vitæ suæ cursum scripto ante obitum, relinquere cunctem. Huiusmodi enim ille facto, effecit; vt, & pietatis eius symbolum ac tesserem, erga Patrem extaret; &, non temerè vixisse ipsum, tàm prosapiæ, quàm Patriæ ipsius, semper constâret. Et me, post peregrinationẽ studij Theologici caussa ad oras externas susceptam, exempli huius memorabilis imitatio, inflammabat & adigebat, vt in gremio tuo fœcundissimo à longo tempore existens, Scripta certa Theologica ederem, quibus velut pietatis symbolo certo, Mater, à Filio, honomreris; & ex fœtu meo vario, filium tuum, recognosceres, amares, viam ad meliora pararres. Et, cùm Mater sis innumera-

numerabili prole fœcunda, atq; Toto Terrarum Orbe inclyta; Pietas mea in Te optimam & honoratissimã Matrem, latiùs & ampliùs extare debuit, quàm Alexij ergà Patrem suum optimum & nobilissimum extitit. Ac proinde nuperrimè etiam à me editam Deificam Omnipotentem Triadem, cuius Sapientia conditi sumus & prouidentia gubernamur, tua amplitudine & maiestate dignam, dedicandam ac consecrandam tibi, vnà cum Illustrissimo ac Reuerendiss. D. Episcopo Crac. Cancellario ac Sponso tuo dignissimo & optatissimo censui. Certùm habens à Deo meo, huiusmodi animorum mutuam cum Illustrissimo Dño coniunctionem & deuinctionem, permultùm ad Regni totius Poloni, ac Reipub. nostræ litterariæ amplificationem & auctoramentum; valitûram. Tu iam tandem aliquando, recognosce filium, Personam externi Doctoris Romani gerentem; quæ enim est Mater, quæ, non diligit filium? Quo mihi præstito; in me mora non erit vlla, gratum me beneficiorum ac ornamentorum tuorum, cum adiutorio Dei mei, quouis tempore præstâre. Datæ ex Collegio Maiori Acad. Crac. ipsa Octaua S. Annæ Mettertiæ, Academiæ Cmc. Patronæ.

Dei & Tuæ digniss. ac honoratiss. Matris, Filius;
M. Matthias Blosius Crac. S. Th. Professor.
Glorioſissimi Martyris S. Flor. Pol. Patr. Can.

ACADEMICA DEIFICA TRIAS.

Ogitãti mihi, & penitiùs apud me Deuotionis præsentis, pro qualibet Parte Quarta Anni, à Sapientissimis Maioribus nostris institutæ, inquirenti rationem; qua, Academia Vniuersa, etsi Regni totius Poloni hominibus, potissimùm tamen Regi suo, Senatoribus, Archiepiscopis, Episcopis, Prælatis, Professoribus, Iuuentuti Regni, studiosis Academiæ, & partibusquibusuis Regni prȩcipuis, Spiritus Sancti gratiarum variarum augmenta, implorare solita est; Rector Magnifice, Patres Reuerendi, Doctores & Magistri doctissimi, & vos cæteri Auditores ornatissimi: Deus Ter Optimus Maximus, per Spiritum sanctum suum, per Quem, Ecclesiam Catholicam, ac Vniuersum mundum, edocet; eiusmodi suggessit instructiõnẽ.

Intereſſe pro officio ac pro debito, Ei Academiæ pro omnibus Ordinibus ac Statibus Regni Poloni ſupplicationes Deo Omnipotenti offerre, Quæ, per Deum ac per poteſtatem ordinatè à Deo deſcendentem, ſpiritalibus & tẽporalibus bonis permultis, libertatibus & immunitatibus inauditis, Summorum Pontificũ, Regum, Senatorum, Equitum, & Ciuium fauore incredibili, inprimisq; Gratia Dei ſingulari; præfulgeat. Namq;, hoc modo fundatam, auctam, dotatam, euectam, & omnibus ornamentis præfulgentem Academiam, quis, pro Ciuitate Dei ſuprà excelſum montem poſita, non agnoſcet? Quis, pro Sale ſpiritali, omnibus Cæleſtibus condimentis & Saporibus prædito, non habebit? Quis, pro fluuio ac fonte irriguo Aquis Sapiẽtiæ ſalutaris repleto, Paradiſi Spiritalis Poloni Animas innumeras irrigante, irrigatasq; ac Diſciplinarum variarum Calore fotas, operante, excolente, conſumante, non reputabit? Huiuſmodi verò eminentiam, amplitudinem, maieſtatem, lucem, condiendi &

Matt: cap: 5.

irrigan-

irrigandi totiùs Regni Poloni ingenia hominum, vim atq; multiplicem potestatem; cùm non ex nobis, sed ex Deo habeamus. Ipse enim vnus & solus (vt Arauxicanum & Mileuitanum Concilium statuit) Auctor Gratiæ omnis, propagator Renouationis salutaris, atq; effector in statu ac officio quocunq; impletionis perfectæ & consummatæ est. Ad eundem, Danielis Prophetæ hortatu, puras manus leuemus. Hoc est, iuxtà S. Hieronymum, in vitæ innocentia ac puritate, pro nobis, & pro vniuersis fidei, directioni, institutioni, gubernationi, ac instructioni nostræ commissis, instanter Deo Ter Optimo Maximo supplicare nõ cessemus; Merita precij & valoris infiniti passionis Iesu Christi viuificæ, Sanctissimæ Trinitati præsentare, non desistamus; Sacrificia noua ac medullata cúm eodem Iesu Christo Propiciatore, Redemptore, ac Mediatore nostro, ex Corporibus & Animabus nostris, Voluntate prompta mactanda, & charitatis æternæ igni comburenda, in vsum Spiritalis profectus, salutisq;

Can: 5. 10. 15.

Dan: 10.

S. Hier: in Dan. verba.

proximorum, ac omnium commissorum nobis, paremus, instauremus, offeramus. Namq;, alia ratione & non hac, in deuotionibus nostris affecti cùm erimus, nullum vnquam sacrificium Deo acceptum offeremus; nullam renouationem veram in mentibus nostris assequemur; Non ad officiorum atq, munerum nostrorum variorum pleniorem ac perfectiorem impletionem, resurgemus; non Gratias Cælestes, neq; earum incrementa, à Deo obtinebimus; non deniq; Deum, fauentem atq; assistentem nobis, experiemur. Testimonium perhibente Spiritu sancto, per os Dauidis Prophetæ Psalmo 50. Illud Sacrificium apud Deum acceptum esse tantummodò, quo Homo, corde contrito, puro, & humiliato, tam suæ, quàm proximorum Animæ, instanter requirit à Deo salutem. Et S. Augustino, ex eodē Psalmo hoc inferente, solam Animarum salutem, sacrificium acceptum Deo esse. Quod quidem vos dùm facitis, vt ad factum hoc vestrum cōsumandum aptiores euadatis, sub ipsum Sanctissimæ

Dau. Psal: 50.

S. Aug. in Psal: 50.

ctissimæ Trinitatis Festum, aliquid de Sanctissima Triade, cuius Sapientia conditi sumus & Prouidentia gubernamur, inquirentes nos, cùm attentione & sedulitate quàm maxima audite. Non enim, iuxta Sapientem, Habere amaritudinem debet Conuersatio eius, nec tædium conuictus eius. Inquiremus autem, in præsentiarum, ex iis infinitis, quæ Pelagus hoc infinitum ac nunquam tranandum continet, istud potissimùm: quomodò in Diuinis, cùm Naturæ Diuinæ vnitate, summa, maxima, singularissima; Personarum Trinitas, ac Processionum Spirationumq; fæcunditas, consistere valeat. Hæc est enim vita Æterna, vt Ioannes Apostolus & Euangelista perhibet testimonium; Cognoscere, Patrem Cælestem; cognoscere Eum, quẽ Pater Humano Generi misit Vnigenitum, Iesum Christum; & Spiritum Sanctum ab vtroq; procedentem, Ecclesiæ Catholicæ pro Tutore & Magistro destinatũ. Et quoniam sermo noster, de Re secundum totam substantiam supernaturali ac Diuina futurus est,

Sap: 6.

Ioan: c. 17.

rus est, cuius cognoscendæ, vires nostræ intellectiuæ naturales, imbecilles ac languidæ per peccatum factæ, capaces ex se non sunt; ideò
Dau. Psal. 79. Dauidem Prophetam imitati, clamemus ad Omnipotentem Deum, vt ille pro Benignitate innata sibi, ad cognoscendum se, per auxilium Gratiæ suæ, cum nostris potentijs intellectiuis, concurrat. Clamemus autem, verba hæc Psalmi. 79. magnam in se energiam habentia, allegantes; Qui sedes super Cherubim, ma-
S. August: in Psal. 79. nifestare nobis. Hoc est, vt S. Augustinus interpretatur, Domine Deus, qui altior, reconditior, & abditior es, quàm vt ab Intellectu Angelico, vel Humano cognosci, pro dignitate & rei exigẽtia queas, mediante Gratia tua, omnimodam nobis, Tui, congeneres atq; communices cognitionem. Et nihilominùs dum hoc modo clamamus; Viis atq; Documentis certis, rei ac negocij præsentis difficultatem minuentibus, exhortatione præsenti, vtamur. Vt Deo, cognitionẽ Naturæ suæ, suarum Processionum, suarumq; Personarum in Nobis operan-

operanti, cooperemur; sicque propositi nostri, felicem ac optatum consequamur finem. Aspirante ac subueniente Sanctissimo Paracleto, cuius Diuinum Increatum Numen, deuotè humiliter ac reuerenter, per Antiphonam illã, Veni sancte Spiritus, inuocem⁹, imploremus. ¶ Multũ differentes atq; distantes, Ecclesia Dei Catholica, Doctores habet, res ad Deum, & Diuinitatem eius pertinentes, via atq; methodo certa docentes; à Doctoribus & Sophis Gentilitatis, Dei ac Diuinarum rerum cognitionem, superbè sibi vendicantibus, eandemq; supercilio grandi assumpto, inter homines euulgantibus. Etenim hi, Dei ac Diuinarum rerum cognitionem assequi, sibiq; eam arroganter vendicare, sine subsidiis ijs supernaturalibus, quæ, absoluta necessitate, Dei, ac Diuinitatis eius cognitioni veræ præmitti debẽt; ausi sunt. Inprimis, sine Ostiario, qui, Spiritus est Sanctus, Deus verus, Mysteria Diuinitatis ac rerum Fidei, reuelans & annuntians omni homini in Deum credenti, ac Nomen Diuinum

Sublatio Gentilismi.

super

ſuper Fidei dono inuocanti, vt Electus Chriſti Diſcipulus Ioannes, 14. Capite teſtatur; Huic Oſtiarius aperit, Eius vocem oues meæ audiunt, Hunc cùm mittam vobis, docebit vos omnia & ſuggeret vobis omnia. Deinde, ſine clauc luminis Diuini, ſupernaturalis, & reuelati: Quo mediante, Oſtiarius Spiritus S. Myſteria atq; arcana Diuina, Intellectum Angelorum atq; Hominum tranſcendentia, aperit, referat, pandit, plana ac peruia intellectui noſtro creato facit; vt Eccleſia Catholica, quæ, Columna & Firmamentum eſt veritatis, perhibet nobis teſtimonium, ſine tuo lumine, nihil eſt in homine. Nihil enim cognitionis Diuinæ ſupernaturalis, nihilq; operum ſupernaturalium vitæ Æternæ meritoriorum, in Homine, Spiritum S. inhabitantem, qui arcana Diuina ſibi referet, ac viam veritatis ſe edoceat, non habente, ſubeſſe poteſt. Cùm ille ipſe ſit & non alius, Quem, Chriſtus Ieſus, Redēptor generis humani, operibus redemptionis promeruit atq; obtinuit, à SS. Trinitate, vt Oſtiarius Ouilis ſui

Ioan: 14. c.

1. ad Thim: cap: 3.

lis sui esset, cuius Quibus, eiusdem SS. Triadis Mysteria, totam facultatem Naturæ superantia, Reuelationis Claue, reseraret; vtpote ea, quæ, credentium animas, in Fide viua perfecta ac vera persistentes, saluent efficaciter. Insuper, sine Ostio, Christo nempe Domino, qui, per os Electi Discipuli sui Ioannis Apostoli & Euangelistæ, vocat se Ostium, quo, & intretur in Ouile verũ sanctæ Ecclesiæ Catholicæ; & per quod, ouilis huius fideles, ad cognitionem veri Dei, rerumq; salutis Æternæ, perducantur. Ego, inquit, sum Ostium, per me, quicunq; intrat saluatur. Et quia Gentilitatis Doctores ac Sophi, nec per Ostium hoc intrârũt; neq; Ostiarium Spiritum S. eiusq; Clauem Luminis Diuini ac reuelati, agnouerunt; ideò, Diuinitatis, ac rerum Diuinarum cognitionẽ, ad veram Pietatem ac Religionem pertinentem, adepti non sunt; falsoq; eam sibi vendicabant, ac non sine arrogantia grandi, inter homines cuulgabant. Vnde nec mirùm, quòd omnes huiusmodi ex Gentilibus, qui, superci- Ioan. c. 15.

lio grandi assumpto, Duces se cognitionis Dei ac Diuinarum rerum circumferebant & iactabant, Aduentum suum & Incarnationem suam anticipantes; non Sophos, neq; Doctores, sed fures, & latrones, Sapientia Æterni Patris, summa & ipsissima Veritas, apud eundem Ioannem, verbis his vocauit: quotquot venerũt ante Me, fures & latrones sunt omnes. Quòd enim, solus Filius Dei, Generis Humani perditi Redemptor, assequi perficereq; poterat; falsò sibi isti hoc nomine, nimisq; iniquè, ante ipsius Aduentum, opusq; Redemptionis ac Saluationis, per ipsum exhibitum, laudem inter homines, aucupabantur. atq;, cùm neminem hominum, salutis veræ viam edocerent, veriùs hoc ipso mactabant, quàm saluabant eosdem. Et, hos quidem Doctores ac Sophos, in rebus, ad Deum, & Diuinitatem pertinentibus, Gentilitas, ante Aduentum Christi, habuit. At verò Ecclesia sancta Catholica, à Christo Ortum ducens, ab ipso Aduentu salutari, Christi Domini, in Carne viuificatrice & mundissima, eos

Ioan. c. 15.

Docto-

Doctores habet & sortita est, qui, subsidia gratuita ac supernaturalia omnia, ad Deum, eiusq; Diuinitatem veram cognoscendam necessaria, benignè ac liberaliter de supernis sedibus acceperunt; huiusmodiq; cognitionem, ceu Hæreditatem Cælestem preciosissimam, Peculiũq; spiritale amabilissimum, Hominibus orthodoxis, à Christo Domino verè Nomen ducentibus, reliquêrunt. A quo effectu salutari, Christus Iesus, olim Prophetiæ Spiritu, & Diuinitatis suæ luce, à se præuiso & cognito, per ipsos in eius fideles inducendo & propagando; Sal Terræ, Lucem Mundi, ac Ciuitatem suprà excelsum montem positam, eosdem vocauit. Hi etenim vsq; vera ac copiosa luce supernaturali, munere Dei Omnipotentis accepta, Homines in Fidei rebus instruere & illustrare; hi, veræ ac cælestis sapientiæ sale, eosdem Fideles ad corruptionem vitiorum vergentes, cõdire; hi insuper, in altissima Cælestium contemplatione semper positi, & nunquam ad ima descendentes, spiritalia ac diuina eisdem, terrenis

Matt: 5. 6.

Matt: 5. 5.

atq; caducis exemplo ſuo cõtemptis, inſtillare & perſuadere debebant. Neq; his contenti, altiùs etiam tanquàm ſpiritales aquilæ euolantes, in Natura ipſa Diuina abſtruſiſſima, ſummè maximè & ſingulariſſimè vna, Perſonarum, Suppoſitorum, Hypoſtaſium Diuinarũ Trinitatem, & Proceſſionum ac Spirationum in Diuinis fæcunditatem, docere, illuſtrare, explicare, atq; ex Canonicæ Scripturæ Aerario intemerato, via ac methodo certa deducere, deductaq; elucidare, quæ Gentilitas omnis nõ modò labris primis attigit, ſed neq; per nebulam aſpexit; feliciter ac meritoriè, Chriſti fidelibus, ceperunt. Etſi enim ante Incarnationem Ieſu Chriſti factam, ante Lumen Reuelatum acceptum, aliaq; ſubſidia ſupernaturalia, ſibi munere Dei hoc nomine exhibita, Res hæ Diuiniſſimæ, Naturæ totius Facultatẽ atq; Vires Naturales omnes ſuperantes atq; excedentes, penitùs inperceptibiles atq; inexplicabiles eſſent: Tamen poſt accepta à Deo ſubſidia huiuſmodi ſupernaturalia, eædem, intellectui humano

creato,

creato, peruiæ ac perceptibiles esse, cura ac opera Scholasticorum Doctorum accedente; cæptæ sunt. Hi etenim, subsidiorum talium supernaturalium Ordinis Diuini efficaciam experti, vias certas, ex Rebus Fidei deductas & elucidatas, quibus, Sanctissimæ Trinitatis, ac Processionum Diuinarum, abditissima Mysteria docerent, non minùs ingeniosè, quàm operosè, adinuenêrũt. Operosè inquàm nimis; nam nisi per illas, Intellectum, sub obsequium Fidei captiues; nisi Piam Animi Affectionem Fidei Rebus assentiẽdi, obtinere, à Deo Omnipotenti satagas; & nisi, Natura tua, viresq; naturales omnes, à Gratia Dei illustratę atq; directione & conformatione certa perfectæ, euaserint; nunquàm altissimis, & à sæculo omni apud Deum Omnipotẽtem conclusis, de Sanctissima Trinitate Mysteriis, à quibus Res aliæ Fidei omnes, tanquàm riuuli, à fontibus fluminibusq; immensis, dimanant, acquiesceres. Harum verò viarum, operosè simulq; ingeniosè per ipsos hoc fine indagatarum; huiusmodi

t. Via Sect. ad Conu. ind.

sit prima. Mari infinito ac inexhausto Bonitatis Diuinæ, Æternæ, Increatæ, ac Immẽsæ, cõmunicare se ab omni Æternitate immenso atq; infinito modo, res decentissima atq; conuenientissima fuit: Huiusmodi autem communicationis Æternæ, Increatæ, Infinitæ ac Immensæ, nulla penitùs creatura capax esse potuit, quælibet enim in Essentia, Existentia, ac operatione sua tota, finita atq; limitata cùm sit, receptionis ac communicationis Æternæ, Increatæ, & Immensæ, de se, incapax est, & semper fuit: Deus itaq; sapientissimus & optimus, Qui se non communicauit, nec communicare potuit Creaturis & Rebus ad Extrà, cõmunicatione Bonitatis suæ Infinita, Æterna, Increata, Necessaria, & Immensa; ad Extrà enim, vbi finita omnia sunt, non vult nisi ea, quæ finita & limitata sunt; De necessitate communicauit se ab Æterno ab Intrà, communicatione Bonitatis suæ, Vitali, Intrinseca, Æterna, Increata, Infinita, Necessaria, & Immensa; ab Intrà enim vult, idq; necessariò, Ea quæ Infinita sunt

Filio

Filio quidem suo Dilectissimo, per Intellectum cuius operatio in Diuinis, Vitalis, Æterna, & Infinita est; & rursus cùm Eodem Filio, sibi in Natura Diuina, & in Potestate spirandi Spiritum Sanctum, à se accepta, infinitè vnito atq; deuincto; Spiritui Sancto communicauit se, per Volũtatem, cuius quòq; operatio, Vitalis, Æterna, atq; Infinita est. Atq; ita, verè in Diuinis, non solùm Patris, sed & Filij, neq; solùm Patris & Filij; sed & Spiritus sancti, Suppositа, Personæ, & Hypostases tres, Relationibus Realibus oppositis distinctæ, Coæternæ, Coæquales, Consubstantiales, Increatæ, & pariliter inter se Infinitæ, reperiuntur. Hac verò via prima efficaci, multi Hęresiarcharum & Sectariorum errores, conuelluntur & tolluntur. Arij inprimis, & Sequacium eius, Qui, in Ecclesijs Episcopatûs Alexandrienſis, (vt Scriptores Ecclesiastici Orientalis imperij diligenter notant), ausus est ex loco publico, impium hoc dogma spargere; In Diuinis, Filium, Minorem esse Patre, cùm sit Creatura Patris, licet eminentior

Sublatio Arij.

Creatu-

Creaturis cæteris, atq; ità, neq; Coæternus, neq; Consubstantialis, neq; Parilis Maiestatis, Patri in Diuinis, esse valeat. Impie Ari, Filius Dei, vt discursibus efficacibus viæ primæ concluſum efficaciter iam est, De Necessitate procedit ab Æterno, à Patre in Diuinis, Ab Intra & Vitaliter, per operationem Intellectûs Paterni Diuini Vitalem atq; Intrinsecam: Huiusmodi autem operatio Diuina, De Necessitate, Æterna Increata & Infinitè perfecta est, per illam enim communicat ab Æterno Pater, Filio, Eandem numero Essentiam, Substantiam, Naturamq; suam Infinitam, Eundem Intellectum suum Infinitum, Eandemq; voluntatem suam Infinitam; Communicat se itaq; in Diuinis Pater ab Æterno, Filio, non tanquam Creaturæ, modo ad Extra & Finito; sed tanquam Personæ, sibi per omnia Aequali, Modo ab Intra, Infinito, Necessariò, & Infinitè perfecto; partim ideò, quia in Diuinis, operatio vna ab Intra, habet de necessitate totum hoc quod & alia; partim verò etiam, quia Persona in Diuinis vna

Sublatio Arian.

nis vna, habet de Necessitate totum hoc quod & Aliæ, præter Relationes Reales oppositas, Quæ nihilominùs, vt referunt Res, Relationibus Realibus oppositas, neq; perfectiônẽ, neq; imperfectiônem, in se continent, vt nulla perfectio subesse possit in vna Persona, quæ, non subsit in Alijs. atq; ità, rectè & Reuelatæ Doctrinæ conformiter, Scholastici colligant, In Diuinis, omnia esse vnum, vbi oppositio Relationis non obuiat. Profecto, impiè ac funeste Ari, meliorem hausit existimationem ab Ægyptiis, Plato, ad quos peregrinationem susceperat, de Filio Dei, quàm est ista tua funesta & venenata, qua tu Alexandrienses, & Episcopatus Alexandrienſis Præsbyteros, apud quos Episcopatum per nefas ambiebas, inficere ex publico Ecclesiæ loco, cõtendebas. Ille enim, (vt de illo S. Bon. in Libro de Redempt. Generis Humani refert & scribit) Filij Dei Natûram, his verbis adumbratam reliquit; Est circulus, Rotundus; sed Perforatus. Qua existimatione sua, iam Diuinitati ipsius, iam etiam Humanitati, quod

Plato: per. ad Aeg.

S. Bon. C. 7. libr. de Red. G. H.

cõueniebat & cõpetebat, ſimbolicè, attribuit. Per hæc enim verba, Eſt Circulus Rotundus, doctum ac ſignificatum ſymbolicè eſſe voluit; Naturam Eius Diuinam, infinitè eſſe perfectã, ac rerum omnium perfectiones, vt immortalitatem, Impaſſibilitatem, Bonitatem, hiſq; ſimiles, nobiliori modo quám in ſua propria Exiſtentia ac menſura dentur in rebus creatis, complecti; ſicut & circulus, omnium aliarum Figurarum, inter quas eſt perfectiſſimus, Perfectiones in ſe continet. Per iſta autem verba, ſed perforatus, ſignificatum eſſe ſymbolicè voluit; Naturã Eius humanam, ad Vnitatem atq; Cõſortium Perſonæ Eius Diuinæ aſſumẽdam, Paſſibilem diſpenſatione Diuina ſpecialiq; Prouidentia Dei vulneribus multis confoſſam de facto, forè. Pèr hoc inſupèr verbum, Circulus; Naturæ Eius humanæ, cùm Diuina Natura, charmoniam atq; conſonantiam, voluit eſſe ſignificatam; nam licet deberet pati in Natura humana aſſumpta, atq; deberet mori quâ Homo, ſubito tamen rediturus erat ad ſuum Principium

cipium indeficiẽtis vitæ, SuæDiuinitatis ſuæq; perſonæ Diuinæ Immortalis, cuius poteſtate ac virtute, ſe ſuſcitaturus erat; ſicùt & Circulus, in ſua effectione & quaſi renouatione, tendit ſubitò ad id, vt Eius Extremũ, iũgatur Principio, ac ſemper poſtea vnum & idem iſta in eo ſint. Hæc præclara de Platone, atq, Ægyptiis. S. Bon. ibi refert & ſcribit, quibus, Reuelationem ſuper his ſicut & Iobo eſſe factã, conſtanter ſimùl aſſeuerat & colligit. Tu verò impiè ac Infauſte Ari, dogmate tuo peſtilentiſſimo & pernitioſſimo, Filii Dei Diuinitatem, S. Petro, SS. aliis Apoſtolis; & S. Catholicæ Eccleſiæ Reuelatam, penitùs atq; funditùs reddere conuulſam & ſublatam, apud Alexandrienſes, contendiſti; Purum Hominem, ac Puram Creaturam, ore tuo blaſphemo, Chriſtum Filium Dei Vnigenitum; vocans, & totiès in Eccleſia Alexandrienſi, per contemptum, compellans. ita quippè te ambitio tua immoderata execauerat nimis, vt teterrimi & perniciosiſſimi dogmatis, progenitor peſſimus & cæciſſimus,

cissimus, euaderes. Hac eadem via, tollitur adhuc atq; conuellitur, Donati, & Sequacium eius error destabilis, quo confirmabat, In Diuinis, sicut Patre, minorem esse Filium; ita rursus & Filio, minorem esse Spiritum sanctum. Infelix & funeste Donate, Pater in Diuinis, vt iam viæ primæ rationibus efficacibus conclusum est, communicat se ab Æterno de Necessitate, Ab Intra, Vitalliter, & Infinitè, sicut per Intellectum, Filio, ita per Voluntatem Spiritui sancto: vtraq; autem huiusmodi Cõmunicatio, Coæterna, Consubstantialis, Increata, Necessaria, & vndiquaq; Infinita, Infiniteq; perfecta est; namq;, sicut Pater, Filio à se procedenti per Intellectus operationem, dat atq; communicat Necessariò Eandem numero Naturam atq; Essentiam suam Diuinam Infinitam, Quam Ipse habet; ita rursùs Idem Pater in Diuinis, cùm Filio; Spiritui sancto, ab illis vt ab vno Principio procedenti, per Operationẽ Voluntatis, dat atq; cõmunicat Necessariò, Eandem numero Substantiam Essentiam & Naturam su-

Substatio Donatii, & Errcius.

ram ſuam Diuinam Infinitam, in Qua, modo infinitè perfecto, vniuntur mutuò & connectuntur: Filij itaq́, & Spiritus S. Perſonæ in Diuinis, Coæternæ, Conſubſtantiales, Increatæ, Infinitæ, Parilisq́; Perfectionis, ac Maieſtatis, de Neceſſitate ſunt. In Diuinitate etenim vera, & in Diuinitatis veræ Perſonis & Suppoſitis, cùm à parte Rei Perfectio vndiquaq́; Infinita ſit, fas non eſt, non modo ipſo facto ponere, ſed neq́; cogitare, ſimile quidpiam imperfectionum earum, quæ, obrepunt in Rebus Intellectualibus Creatis, ob illarum, Eſſentiam, Exiſtentiam, potentiam, operationem, & perfectionem finitam ac limitatam. quo nomine, cogimur in Rebus Creatis Intelligibilibus, vocare à Parte Rei, Filium terrenum, à Patre terreno genitum, Generante ſuo, minorem eſſe. itemq́; cogimur & hoc, in Eiſdem Creatis Rebus, à Parte Rei concedere, Patres in terris, magis, plus, & intenſiùs diligẽre Filios ſuos, quàm Filij diligant eoſdem. Sic & Dominos, plùs diligere ſeruos ſuos, quàm ſerui diligant eos. Atq; ita

consequenter, in Generatione, & Dilectione Rerum Creatarum Intellectualium, magnam à Parte Rei reperiri imparilitatem & imperfectionẽ; qualis nihilominùs imparilitas & imperfectio, iam in Generatione, iam etiam in Dilectione, nullatenùs non modo à Parte Rei poni, sed neq; cogitari, in Diuinitatis Veræ Hypostha seſij atq; Personis, Increatis, Aeternis, ac Infinitè Perfectis; possit ac debeat. Hac insuper via, tollitur & conuellitur, Macedonij & Sequacium eius, venenatum & intoxicatum dogma, quo pestilenter vsurpabat; Patrem solùm, & Filium, in Diuinis, Consubstantiales, Coæternos, atq; Immensæ Maiestatis esse, verùm Spiritum S. seruum ac famulum ipsorum esse, ad Essentiam, Existentiam, & Naturam Ipsorum Diuinàm, nullam habentem Parilitatem, imo neq; similitudinem. Impie & profligate Macedoni, qui, Episcopalem Dignitatem tuam Amplissimam, non solum homicidiorum multorum sanguine, sed etiam erroris teterrimi vsurpatione, atq, in Oriente

Modus loquu. Patr. Ant.

Sublatio Macedonij, & Err. eius.

riente propagatione, multùm fædasti; Admittis atq; concedis, Et admittere atq; concedere veritas te cõpulit, Patrem in Diuinis, cõmunicare se Filio suo ab Æterno, Modo ab Intra Infinito, Per Intellectus operationem, hacq; Cõmunicatione & Processione ab Intra, Æterna atq; Infinita, accepisse Eundem Filium, à Patre, Substantiam, Essentiam, & Naturam Diuinam Increatam, Infinitam, & Infinite perfectam; Quomodo itaq; concedere, & nolens volens fateri non debes, Eundem Patrẽ quoq;, per Voluntatis operationem, vna cum Filio, communicasse se ab Æterno Vitalliter, atq; ab Intra, Parili Consubstantialitate, Perfectionis Immensitate, atq; Infinitate, Spiritui sancto? quemadmodùm Filio? Etenim, si in Diuinis Pater, solum per operationem Intellectus Vitalem & ab Intra, communicaret se Consubstantialiter atq; Infinitè, Spiritui S. nulla ratione hoc modo esset diciq; posset, Bonum Maximum, Summum, Nobilissimum, Summè ac maximé sui communicatiuum; Non omni si

quidem

quidem modo communicationis, ab Intra Seipsum communicaret: Iustè autem, verè atq; decenter, Pater in Diuinis, vocatur & est à Parte rei, Bonum maximum, Summum Nobilissimum, maximè ac summè sui ab Intra communicatiuum, vt Viæ primæ Discursibus & Documentis efficacibus iam concluſũ est: Pater itaq; in Diuinis, impiè & profligatæ Macedoni, ex Episcopo Cõstinopoleos, Homicida, & Hæresiarcha; Non solùm Filio, pèr operationem Intellectus Vitalem & ab Intra, cõmunicauit se ab Æterno, Consubstantialiter, Immẽsè, Perfecto atq; Infinito modo; Sed etiam Spiritui S. per operationem Voluntatis Vitalem & ab Intra Cõmunicatione pariter Cõsubstantiali, Aeterna, Immensa, Increata, atq; Infinita (sicut Filio,) ab æterno se communicauit, vnà cum Filio. Et ita Spiritus S. de Necessitate, Persona est in Diuinis Tertia, Patris, & Filii Personis, in Aeternitate, Infinitate, Maiestate, Operatione, Potestate, Natura atq; Substantia, Par & Aequalis. Non ergo seruus & famulus

mulus ipſorum eſt, vt tu ore tuo blaſphemo, Conſtantinopoli, ex Epiſcopali Cathedra tua ructare auſus es; ſed Deus verus à Patre & Filio vt Principio vno, procedens, Dominus omnium noſtrum Omnipotens, Cuius nos humillimos ac minimos ſeruos & famulos eſſe, libenti ac reuerenti animo, fatêmur. Neq; verò id temere, & erronee, facimus, ſed eruditi dogmatibus Doctrinæ Sacroſanctæ per Reuelationem acceptæ, inſtituto Eccleſiæ Catholicæ infallibili, ac exẽplis plurimorum Vitæ ac Doctrinæ inculpatæ hominum, quæ apud Eccleſiaſticos claſſicos Authores, paſſim reperias.

2. Via ad Conuſect. Var: ind

Secunda via hac in parte, non minus efficax, quàm prima, ſit iſta. Qui Deus, eſt Mare Infinitum Bonitatis, Idem eſt quoq; & Pelagus Inexhauſtum Felicitatis Immenſæ: Felicitas autem ſumma, veriſſima, & ſynceriſſima, ſinè ſocietate & conſortio, nullatenus eſſe poteſt, velut Ariſtoteles, Cicero, & quicunq; de Amicitia ſcripsêre docuêrunt; velut, & veteri prouerbio, quilibet Prudentum & ſapientum re-

cte vſur-

ctè vſurpare ſolet, dum dicit, Neq; in Paradiſo neq; in Cœlo ſine ſocietate & cõſortio aliquo vellem eſſe; quo patenter ſignificari datur, vaſtitatem & ſolitudinem, Felicitatem conſtituere non poſſe: Conuenientiſſimum itaq; atque decentiſſimum fuit Deo, habere ab Aeterno, in ſua Diuiniate, pluralitatem & fæcunditatem Perſonarum, Hypoſtaſum, Suppoſitorũ, iuxta Proceſſiones, Intellectus, & Voluntatis, in Eadem Subſtantia atq; Natura Diuina: Atq; habere conſequenter, Societatem maximam, & Conſortium ſummum, Iucundiſſimum, Arctiſſimum, Felicitatis Veriſſimæ, Syncceriſſimæ, & Maximæ, Qua, perfruuntur ex omni Aeternitate, in omnem Aeternitatem, Tres hæ Perſonæ de neceſſitate, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus in Diuinis. Per quam viam labefactatur & tollitur funditus, Sabellij & adhærentium ipſi, error, Trionimam eſſe ſolùm Solitarij Dei Vnionem, aſtruentis; hoc eſt, vt S. Auguſtinus, S. Bonauentura, D. Thomas, & Scholaſtici Alij explicant, Vnam ſolùm Perſonam Solitariam

S. Auguſt: de Trinit.
S. Thom. 1. P. Qu. 25.
S. Bonau. 1. Sent: diſt. 25.

tariam in Diuinis esse, sicut & Natura Vna est; Quam tamen, Nominibus tribus, nunc Patris, nunc Filij, nunc Spiritus sancti, Scriptura Sacra, appellare & nominare soleat. Infelix & funeste Sabelli; Deus est ab omni Aeternitate, Pelagus Immensum, Inexhaustum, & Infinitū Felicitatis, non cuiuscunq;, sed verissimæ, vitalissimæ, purissimæ, syncerissimæ, & maximæ, vt Viæ huius secundæ, Discursus atq; Rationes, efficaciter concluserunt. Nullatenùs itaq; esse ac cogitari potest Deus, Solitarius, Infæcundus, ac Consortij omnis expers; Quare Consortium Felicitatis huiusmodi verum, fuit, est atq; erit à Parte Rei semper, ab omni Aeternitate in omnem Aeternitatem, inter Patrem, Filium, & Spiritum S. in Diuinis. Vnde, S. Ioannes Apostolus & Euangelista, Epistolæ suæ Capite statim primo, testatur; Veritatem Consortii, huius Felicitatis Diuinissimæ, inter Patrem, Filiū, & Spiritū S. esse: atq; sicut Iesus Christus, fuit missus à Patre in Terras, vt testimonium perhiberet Veritati in Regno Gratiæ, super

Sublatio Sabellii & erroris eius.

Ioan: c. 1.

Consortio Felicitatis huius Diuinissimæ, cuius oculatus fuit Testis, Quæ sola Vna, Verissima, Syncerissima, Purissima, Vitalissima, & Maxima, præ omnibus alijs est; ita & post exhibitum Testimonium huiusmodi ab Ipso in Terris, postq; reditum Eiusdem ad Patrem in Regnum Gloriæ ad Cælum; Tres quoq; sunt, Qui Testimonium dant in Cælo in Regno Gloriæ, super Felicitatis Eiusdem Diuinissimæ Consortio Verissimo, Pater, Filius, & Spiritus S. Qui Tres, in Natura Diuina ac Felicitatis huius Immensitate, Vnum Idemq; sunt. Quorum omnium intuitu, Sacrosanctum Nicænum & Chalcedonense Concilium, Tres Has in Diuinis Personas ac Hypostases esse, Vnamq; Alijs ὁμοούσιον & Parilis Maiestatis, sub Anathemate, contra Arianos, Sabellianos, & alios Sectarios varios, determinarunt. Deo tunc Omnipotētissimo Canones, & Sanctiones ipsorum, multis Miraculis Clarissimis & euidentissimis confirmante, quorum euidentia, Dæmoniaci isti, conuicti, ne mutire quidem ausi sunt, vt classici Historio-

ſtoriographi referunt ac teſtantur, videntes ſe eſſe omnifariàm cõfuſos. De quorũ numero, Tria magis præcipua atq; illuſtria, libenti animo in hanc arenam producimus; Cõſolationem enim Ea maximam hominibus Orthodoxis, Confuſionem autem à Fide Catholica apoſtatantibus afferent, eiſdemq;, Infidelitatis abiectionem vrgenter perſuadebunt. In magno & Orthodoxo Nicæno Concilio, ex 318. Patribus Orthodoxis, Coacto; Epiſcopis duobus, antequam ſubſcriptio Eiuſdem Concilij celebraretur, ex Rebus humanis ereptis; reliqui Patres atq; Antiſtires ad ſepulchrum Eorum venerunt, & Tabulis Symboli Nicæni à ſe conſcripti, ad Illos, allatis, mortuos illos, perindè acſi ſpiritum duxiſſent Auribuſq; captaſſent, orarunt, vt Fidem Quam vnà Secum conſtituiſſent, Si Acta eſſe Concilij rata cenſerent, ſubſcriptione ſua, ſancirent; quando, nullo iam humanitatis velo interiecto, ſplendore Trinitatis Illuſtrati, veritatem ad liquidum exploratam haberent. Hæc cùm dixiſſent, & obſigna-

Sig. de or. imp. ſub Ann. 347.

tas Symboli tabulas, ad illorum tumbam, reli-
9. Mirac: Trinit. comprob. quissent, abiêre. At postridiè cùm Sectarijs diuersis reuersi, inuiolato signo, Illarum manu subscriptas Eas, reperêre. Postquàm verò funestus & dolosus Arius, non dùm quieuit, sed Formulam Fidei, Aliam Scripto Constantino Imperatori exhibere, & Aliam mente premere, ausus est; tùm fædissimè & citissimè expirauit; Nàm vbi, ad Forum Constantini peruenit, dimissus à Cõstantino, subito sensit, laxatam esse sibi aluum, cumq; ad Latrinæ locum peruenisset, viscera omnia simul cùm excrementis, eiecit. Deo tunc Omnipotentissimo, in isto tricipiti Cerbero, Aegypti, Asiæ, & mundi totius dolosam à Catholicismo, ad Arianismum defectionem, ad quam, suis dolis innumeris, sollicitabat omnes, iusto, seuero, & rigoroso iudicio, ad cautellam aliorum Sectariorum, puni-
Sig. sub An. 362. ente. Cùm etiam Aduersarij Fidei Orthodoxæ Varij, Decreta Magni & Oecumenici Chalcedonensis Concilij, ex 600. Patribus adunati, tanquàm potentia Marciani Imperatoris Orientis

entis extorta, multùm reprehenderent, traducerent, ac ſuam ſententiam adhuc corroborare, contenderent; Tùm Leonis Pontificis Romani Legati, in Concilio tùnc Præſidentes, Paſcaſius, Lucentius, & Anatholius, ad illos. Quoniam opinionem veſtram, adhuc mordicùs tenetis, nosq; accuſatis; ideò, Quæſtionis huius diudicatio, Diuino Numini permittatur; Scribatur Sententia veſtra, in Vno libello; & Noſtra, in altero, atq; ambæ, in Sepulchro Sanctæ Martyris Euphemiæ collocẽtur, Eique, Veritatis Iudicium, permittatur. Hæc cùm Aduerſarij Catholicæ Fidei probaſſent, ſcripti ab vtraq; Parte libelli, elato lapide ſepulchri, ſuprà Pectus Sanctæ Martyris deponuntur, ac lapis demiſſus, diligentiùs ab vtraq; parte obſignatur: Deinde precationes ad Deũ ſuppliciter effunduntur, vt ſigna edat, vtra Ei ſententia cordi ſit, Catholicorumnè, an verò Sectariorum. Indè, poſt triduũ, præſente Imperatore Marciano, conueniunt, atq; aperto ſepulchro, libellum Hæreticorum, ad Sanctæ Martyris pedes

abiectum

abiectum inueniunt; Alterum verò Catholicorũ, in manu Eius Dextra, quem Sancta Virgo, Marciano, Anatholioq; porrexit; Omnibus qui aderant, Facti Nouitate ſtupentibus, & planè attonitis. Ex quo, ingens plauſus & gratulatio à Catholicis, facta eſt; Hæreticis, præ pudore mæſticiaq́; muſſantibus. Et hæc, de iſtis, Sacri Eccleſiaſtici Annales, referunt.

3. Via ad Conu: Sectar: ind. Poſtrema deniq; via, efficaciam Parem prioribus habens, ſit hæc. Quidquid eſt & reperitur, Perfectionis Veræ, Synceræ, Eiuſq́; Quam Methaphyſici cùm Theologis Scholaſticis, Perfectionẽ Simpliciter Simplicem ingeniosè vocare ſolent in Rebus Creatis; Eam omnem Deo vendicare, neceſſariò debemus, à Quo, vt Fonte Inexhauſto & Infinito Perfectionum, eam ſibi Communicatam habent, facta priùs ſequeſtratione & abiectione omnis imperfectionis, quæ in eiſdẽ reperiretur ac obreperet: Rerum autem à Deo productarum, Eæ, quæ ad Genus Viuentium pertinent, duplicem hãc perfectionem à Deo ſibi Communicatam ha-

bent

bent; Primam quidem, generare ſibi ſimilem rem; alteram autem, rem à ſe productam, amare, amandoq́; eam, in eadem quàm maximè vniri & deuinciri: Quare & in Deo, infinitiès perfectiori ac nobiliori modo, hæc vtraque perfectio reperiebatur à Parte Rei ab Aeterno de neceſſitate; Perfectio, Generandi Filium ſibi Conſubſtantialem; & Perfectio, cûm Eodem Filio Conſubſtantiali, Spirandi Spiritum S. tàm à Patre quàm à Filio procedentem ab Inrrà, modo Infinitè perfecto; In Eodemq́; Spiritu S. cùm Filio Genito ac ab Intrà producto à ſe, infinitè vniri, deuinciri, & connecti. Reperiebatur autẽ vtraq; hæc Perfectio in Deo ab Æterno, propria quidem ac ſimplici ratione à Parte Rei, cũ ſequeſtratione tamèn atq; abiectione imperfectionis omnis quæ reperitur & obrepit in Rebus creatis Viuentibus. De quarum numero, eſt hæc, quòd illæ, rebus à ſe productis, quibus ſe per generationẽ gratuitò communicarunt, eandem numero naturam atq; eſſentiam ſuam communicare ne-

 queunt;

queunt; At verò soli Perfectioni Diuinæ Infinitæ, Increatæ, ac Immensæ, Res conuenientissima ac decentissima fuit ab Æterno, cùm Actus Purissimus, Simplicissimus, summeq; Necessarius sit, Essentiam, Substantiam, atq; Naturam suam, Vnam & Eandem numero, Personis in Diuinis aliis communicâre. Atq; ità, decentissimum ac summè Necessarium fuit semper Deo Omnipotenti, ex Vtero suo Diuino, atq; ex Vitali Substantia atq; Natura Intellectus sui Diuini Fæcundissimi, generare Filium, sibi Coæternum, Parilis Maiestatis, Consubstantialem, Vitaliter, ab Intrà, modòq; Infinitè perfectò, à Se procedentem, Vnam Eandemq; Naturam atq; Substantiam Numero, Secum habentem. Super qua Sua Perfectione Immensa, expressis, patentibus & manifestis Verbis, Idem Omnipotens Deus; talem facit fidelem, Ecclesiæ suæ, Credentium omnium
Esa. c. 48. Matri, apùd Esaiam Prophetam, denuntiationem; Nunquid Ego, In Cuius Virtute ac Potestate Patres omnes Terreni generant, Quiq;

Quiq; alios omnes generare ac parere facio, Ipse, Sterilis, Solitarius, Infæcundus, ac vastitati obnoxius ero? En hoc loco, Deus Pater in Diuinis, super Vnigeniti Sui Generatione & Processione, certos nos fideles suos omnes facit, & omnimodè, assecurat. Consequentèr autèm, succedit hoc de Necessitatè, Patrẽ Eundem in Diuinis, cùm Eodem suo Filio, sibi Coæterno, Parilis Maiestatis, & Consubstantiali, Spirare ac Producere ab Æterno, Vitaliter & ab Intrà, Spiritum S. Personam in Diuinis Tertiam, in Qua, Infinito ac Perfectissimo modo, se vniunt & connectunt mutuò. Etenim Spiritus S. spiratur ac procedit à Patre atq; Filio, pèr Voluntatem, Amoris Mutui & Infiniti, Patris in Filium, plenam; Proprietas autem amoris maxima ac potissima, est hæc, vnire, deuincire, atq; connectere, Amatum cum Amato. Ac proindè, ob huiusmodi Processionem Spiritus S. à Patris & Filij Personis in Diuinis; D. Thomas, cum Scholasticis aliis, Eundem Spiritum S. vocare solet,

1. Part: qu. 36. Art: 3.
S Aug: de Tri.
S. Bonau 3. Sent, dist. 15.

Nexum Mutuum ac Indissolubile Vinculum, Patris & Filij, sine quo, Patris & Filii Personæ in Diuinis, nequaquam verissimo & summo modo, inter se vnitæ ac connexæ, esse possent. Spirant verò Spiritum S. Hæ Duæ personæ, nõ vt Duo Principia, quemadmodùm Græci, & Orientales à Catholica Ecclesia præcisi, erroneè & peruicaciter tenent, sed vt Principium vnum, quemadmodum S. Catholica Apostolica Ecclesia, profitetur; Discursu, & Canonicæ Scripturæ pondere, adducta. Discursu, hoc; Vnus etenim est Intellectus, atq; vna Voluntas Numero, Patris, & Filij in Diuinis, ob Naturæ Diuinæ Identitatem Numericam, Infinitè vnam, Simplicem, ac Perfectam: quare consequentèr, Necessariò Pater, & Filius, in Diuinis, spirant ab Aeterno vt Vnum Principium, per Voluntatem ac Voluntatis operationem, Spiritũ S. In Eodemq; Spiritu S. velut in Amore Suo Infinito, ac Nexu atq; Vinculo Suo Indissolubili & Immenso, vniuntur, & deuinciuntur, infinitè. Scriptura autem, Apocalipsis

ipſis Ioannis Capitis 22. hac, Qua, Is ipſe Teſtis præordinatus à Deo, teſtatur ſe vidiſſe, inter alias omnes viſiones Inſulæ Pathmos, hanc nobiliſſimam atq; diuiniſſimam omnium, Viſionem; Fluuium, de Sede, Dei, & Agni, manantẽ. Per Fluuium, S. Catholica Eccleſia, cùm Ioanne Apoſtolo & Euangeliſta, Spiritum Sanctum intelligit; Is enim, Donis & Gratijs ſuis ſpiritalibus varijs, corda hominum Infidelium, Peccatorum, & Hæreſi infectorum, efficaciter abluit, refrigerat, viuificat. Hunc verò cùm vocat Manantem; tangit ac docet, Spirationem atq; Proceſſionem Eius, Vitalem, ab Intrà, & Infinitè perfectam eſſe, Qualis & Vnigeniti Patris, eſt. Inſuper cùm Eũ vocat, Manantem, à Sede Dei, & Agni, patenter docet, ſpirari Eum, ac Procedere, à Patre, & Filio, vt Principio Vno; Duas enim Perſonas, Patris, & Filij, referens, non tamen dicit, quòd à Sedibus Duabus, ſed à Sede, Patris, & Filij, procedat & dimânet. Patentèr docens; Patrem, & Filium in Diuinis, non vt Duo Principia, ſed vt Principium Vnum, Ioan. Apoc: c. 22.

Spirare Spiritum S. Sibi, vt in Natura, sic quoque in Maiestate Diuina, ac Fecilitate omni, ὁμοούσιον; Spirariq; ac Procedere Spiratione Passiua Spiritum S. ab Illis, non tanquam à Duobus Principijs, sed tanquàm à Principio Vno. Hac quoq; postrema Via, Discursibus atq; Scripturis declarata & constabilita, facili negocio, crassissimus & fædissimus error alius, Eorundem Græcorum, & inter hos, 58. Orientalis Ecclesiæ Episcoporum, labefactari & auerruncari potest, Quo docebant, Spiritum S. in Diuinis, solùm Procedere & Spirari à Patre in Diuinis, Spiratione atq; Processione Aeterna, Vitali, Infinita; & nequaquam spirari Eum, à Filio in Diuinis. Rati etenim sunt; Rem esse impossibilem, vt Personæ in Diuinis Duæ, vnum Principium esse possint; Sed de Necessitate, Duo Principia essent; Consequenter autem ab Illis, non Persona Vna, sed Personæ Duæ, procederent: atq; ita in Diuinis, non Trinitas, sed Quaternitas, à Parte Rei reperiretur; contrà Canonicæ Scripturæ Authoritatem, & Conciliorũ multô-

Sig de oriēt: imp Sublatio Græcanis.

multorum patentem determinationem. Huius tamen rei falsitas, iam detecta & confutata est ex parte, Viæ huius Postremæ documentis; Et confutari adhuc potest magis, Rationibus vrgentioribus atq; efficacioribus, in Florentino Concilio sub Eugenio Papa coacto & celebrato, in præsentia eorundem Græcorum, & Sacri Concilij legittimè congregati, productis, discussis, & conclusis. Prima est; Dato, quia Pater tantùm in Diuinis spiraret ab Aeterno Spiritum sanctum, & non Filius mutuò cùm Patre, & Necessitate Idem Filius, Minor esset Patre; non haberet siquidem Vim ac Potestatem spirandi Spiritum S. Quam Pater habet: Hoc autem absurdum, Græcis etiam ipsis aduersatur, simulq; Documentis Trium Illarum Viarum contrarium est; Tenendum itaque cùm Sancta Catholica Apostolica Ecclesia, inconcussa Fide est; Patre in Diuinis communicante se ab Æterno Per Intellectùm Filio, communicasse simul Eidem Filio cùm Natura sua Diuina, Vim ac Potestatem Infinitam

finitam Spirandi Secùm mutuò vt Vno Principio, per Voluntatem Infinitam, Increatam, & Immensam, Quæ de Necessitate Vna atq; Eadem est Numero, in Patre, & Filio, Spiritum S. Personam in Diuinis Tertiam, sibi Coæternam, Consubstantialē, & in omnibus Parem. Iam etenim, Patre & Filio in Diuinis, Spirantibus hoc modo de Necessitate vt Vno Principio Spiritum S. nequaquam ab Eisdem, Personæ Duæ (vt isti erronèe & peruicaciter tenēt;) sed vna Persona; à Parte Rei, procedet. Atq; ita in Diuînis, Trinitas à Parte Rei semper, & non Quaternitas aliqua, reperietur, atq; ponenda erit. Altera Ratio est; Posito, quòd Spiritus S. non procederet à Filio, nequaquam esset Persona distincta, à Filio, sed distingueretur solùm à Patre, à Quo solo, opinione erronea Græcorum procedit; solæ etenim Ptocessiones in Diuinis, important Relationes Reales oppositas, Personas Diuinas, inter Se, à Parte Rei ita distinguentes, vt Res à Re distincta est; vt S. Augustinus de Trinit. D. Thom. de Relationibus Realibus

D. Thom. 1. Part. Qu. 55. Artt. 5.

libus in Diuinis, & alij Scholastici ista tractantes, docent. Cæterùm, Scripturæ Canonicæ plurimæ, Et Ephesini, Constantinopolitani, Nicæni, atq; Chalcedonensis, Conciliorum Sanctiones, prò Canonica & Euãgelica Scriptura semper computatæ, patenter & manifestè statuunt ac Canonizant, Spiritum sanctum, non à Patre solùm, sed etiam à Filio, esse distinctum; Spiritus itaq; sanctus, non à Patre tantùm, sed à Filio quoq; vt Vno Principio cùm Patre, Spiritum sanctum spirante ab Aeterno, procêdit. Postrema ratio, ex 16. Capitis Ioannis, Doctrina hac, accepta est; Cùm venerit Spiritus Ille Veritatis, docebit vos omnem Veritatem, quia de Meo, accipiet. Filius enim Dei Vnigenitus Christus Iesus, Legislator & Redemptor noster, patenter verbis his docuit, A se Spiritum sanctum, Scientiam accipere; Accipit ergò Spiritus Sanctus à Filio & Naturam; hæc enim in Deo, in Quem, nullum cadit Accidens, nullaq; Diuisio, de Necessitate Vnum & Idem sunt. Et quoniam Spiritus Sanctus, non à Patre solùm, Ioan. c. 16.

sed à Fi-

sed à Filio etiam, Scientiam & Naturam accipit, Ideò de Necessitate, non à Patre solùm, sed à Filio quoq; vt Vno cùm Patre Principio, ab Aeterno procedit. Siquidem, non solùm Pater, sed & Filius, Totam Naturam suam Infinitam, cumq; Natura, omne Bonum suum Infinitum, Eidem Spiritui sancto, mutuò, atq; vt Principium Vnum, ab Aeterno communicârunt. Ac proindè, Idem Iesus Christus Legislator noster atq; Redemptor, nè amplius dubium vllum ac ambiguitas aliqua, hac in parte, apud Fideles suos remaneret, Qui dicere dignatus est, Quia de Meo accipiet, Idem quoq; protulit, omnia Quæ sunt Patris, Mea sunt; vt lucidissimè doceret & instrueret nos Fideles suos in Partem sortis Sanctorum vocatos; Omnes Perfectiones Patris, suas esse; Ac sicut Pater, habet Vim atq; Potestatem Spiritum S. spirãdi; Ita se quoq; habere Vim ac Potestatẽ Eandem, Spirãdi Spiritum S. cùm Patre mutuò, vt Vno Principio, ab Aeterno. Ac proindè, sicut Aliorum Sectariorũ tetri illi errores; ita quoq; & hìc

Concl. Generalis.

& hìc Græcorum, à Catholica Ecclesia præcisorum, nequaquàm ampliùs subsistere potest.

Hæc itaque est Trinitas, Quæ, Catholicam Ecclesiam toto Orbe terrarum diffusam fæcundissimè irrigat, Pater, Christus, & Spiritus Sanctus. Non deest illi, Lumen & Claritas, à Patre. A Christo, Vbera, Aquæ, & Mella, illi funduntur. Et à Spiritu sancto, Gratiæ illi omnimodæ irriguum flumen, semper dimânat. Hæ quoq; sunt Viæ Tres, cùm suis Documentis, & Rationibus efficacibus, ipsi Doctrinæ Diuinæ Reuelatæ ac Inspiratæ, innixæ, Quibus, commodissimè & vrgentissimè, Naturæ quidē Diuinæ Vnitas, atq; Identitas summa; Personarum autem & Hypostasum Trinitas, ac Processionum atq; Spirationum, in Diuinis, incredibilis fæcunditas, contrà Sectarios omnes, conuincitur. His nos cognitis; accendamur ad Mysteriorum tantorum considerationem veram, vtilem, iugem, continuam, & humilem; Amicitiam Dei, Felicitatem summam, ac Aeternam vitam secùm portantem.

Ad humilem, inquam, Eorum consideratio-
nem; nàm consideratio superba, curiosa, &
irreuerens Mysteriorum Dei, fecit illos omnes
quos retulimus, sequaceq́; eorum numero-
sos, pati naufragium Fidei Catholicæ; postea,
ex prauis erroribus, deteriores semper errores
nectere; & tandem, Gygantum more, San-
ctissimæ etiàm Ipsi ac Omnipotentissimæ Tri-
adi, bellum impium indicere. Quo, Ei, indi-
cto; Pater cælestis, Antiquus dierum, ob Au-
thoritatis Principalitatem, à Daniele Propheta
denotatus ac nominatus, statim illis vt Inimicis
& hostibus Suis capitalibus, Terga indigna-
būdus obuertit. Vnigenitus Patris, Iesus Chri-
stus, Stigmata sua Sacrosancta allegans, & in
Aëre notabiliter monstrans; Ingratitudinis Eos
nefariæ, In Se, & in Patrem suum, conuicit.
Sanctissimus Paracletus, Diuinissimum Pneu-
ma, Columba Deifica, Innocentiæ ac San-
ctimoniæ Pelagus Inexhaustum; Intellectum
ipsorum, densissimis tenebris obrutum, Vo-
luntatem, sordibus Peccatorum maximis fæ-
datam;

datam; Memoriam, omni ornatu ſpiritali denudatam; Mentem omni ſplendore cæleſti priuatam; & cor, innocentia, vitæq; puritate carẽs; plenè abominatus eſt. Ac Talia, ad Patrẽ & Filium ingeminans verba, Tranſeamus ex his impuris & reprobatis ſedibus, nec amplius ad eaſdem reuertamur, æternùm (proh dolor) deſeruit. A qua ruina indicibili, ineſtimabili, irrecuperabili, vt Benignitate Dei ſumma præſeruemur, teneamus humilem & inconcuſſam, cùm Orthodoxis Patribus, Epheſinæ, Conſtantinopolitanæ, Nicenæ, & Chalcedonenſis Synodi, Sanctiſſimæ & Omnipotentiſſimæ Trinitatis Confeſſionem; proq; Eadem, millies etiàm ſi opus eſſet mori & animam ponere, ſimus parati. Nam in Eius Nomine Deifico & Omnipotẽti, facili negocio, Sancti Martini Epiſcopi Turonenſis exemplo atq; teſtimonio; immenſos vitiorum, errorum, malorum morborum, & Hoſtium cuneos, ſuperabimus hîc in præſenti vita; in futuro autem illo ſæculo, Iuſtitiæ ac Victoriæ Coronam, de Manu Iu-

nu Iusti Iudicis Christi Domini, Redemptoris, Propitiatoris, ac Mediatoris nostri in Sanguine, reportabimus. Vbi, edemus, bibemus, gaudebimus, abundabimus superabundabimus, ad vbera portabimur, super genua blãdientur nobis. Et hoc immensum gaudium nostrum atq; infinitum, ex Visione & Fruitione Diuina beatifica, ex Perfectissima ac Consumatissima Omnipotentis Dei Gloria, proueniens; nemo tollet amplius à nobis. Quod nobis præstet, humiliter ac reuerenter sibi hoc nomine supplicantibus; Spes nostra, Salus nostra, & Honor noster, SS. Trinitas Vnus Deus, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus. Amen.

His habitis; Commendatio Viuorum, Mortuorum, maximè Benefactorum, accuratissima, ante Missæ Solennis Academicæ Offertorium, ad Intētionem Ecclesiæ Dei, Regni & Academiæ, subsecuta est.

Sub Felicibus auspiciis Cancellariatûs Illustriss: Domini Cancellarij, D. Martini Szyszkowski, Episcopi Crac: Ducis Seuer. & Rectoratûs A. R. D. Iacobi Ianidlouij, I. V. D Procancellarij Academiæ, & Vniuersitatis Crac. Generalis Rectoris.

Hæc, quæ de SS. Trinitate in Diuinis, Scripturæ Sacræ Conformia, eadem Deifica Triade nos irrigante, edidimus: Sanctæ quoq; Romanæ Catholicæ Ecclesiæ iudicio; subiicimus.

IN ARMA

ILLVSTRISS. D. CANCELL. iterùm.

VEram Ecclesiam vbi Sanctorum Oracla figunt
Vatum, istis seruit candida Luna typis.
Antistes venerande. tibi benè commodat istud,
Quando Ecclesiæ habes, Alta guberna tuæ.
Ferrea Bellorum tempestas, ferreus imber
Ingruit, & Petri, Nauicula opprimitur:
Vos Lunæ, quando hunc hostili sanguine pastum
Ensem stringetis; Magna silentia erunt.

IN INSIGNIA ACADEMIÆ CRAC.

CHryses adimundus Apollinis ille Sacerdos
Dum propriam à Græcis Chryseida acciperet.

Auratum

Aurtum in media arma tulit Sceptrum, quod habebat
A Phœbo, officij nobile agalma sui.
Tu geminis Regnum illustras Academia sceptris
Nam tua Maiestas, maior Apollineâ est.
Quæ tibi Ceu Sùperum, Regum veneranda dederunt
Concilia. O doctis stemmata digna togis.

In Opus Authoris, ad Crac. Sedis & Coronæ Regiæ Vrbem.

QVanta Thomas, vel quanta Bonauentura vel in gens
Orbi Augustinus Commoda præstiterant;
Tanta in Sarmatiæ populo, Eloſii Enthea virtus,
Efficit; vt Triadis dogmata magna canit?
Hâc doctrinâ Arium, crebro velut arlete tundit,
Falsis, obturat Sacrilega ora, viris:
Quid fæta ingeniis iactabis Roma? videres,
Vrbe Çmcinatos, Romulidûm similes?

M. Iacobi Vitellij
Art. & Phil. Prof.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.
Libera nos, protege, & salua, ô SS. Trinitas.

FINIS.

BIBLIOTEKA JAGIELLOŃSKA

ZZ13261